



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 43. An simonia mentalis inducat pœnas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

utī statim dicetur; posset tamen semper ejusmodi  
conventio ex utraque parte puniri à Judice, ut  
iūdem Authores docent.

202 Q. 43. *An simonia mentalis inducat pœna?*  
R. Affirmant Sot. Maj. Med. & alii; sed reliqui  
communiter cum S. Th. apud Dian. P.4.T.4.R.158  
probabilius negant: hinc si quis servivit Episcopo  
animo recipiendi beneficium tanquam pretium  
servitii, & Episcopus dederit beneficium tanquam  
illius servitii pretium, si nullum adfuit pactum, sed  
uterque finxit se gratis facere, accipiens beneficium  
non tenetur resignare, nec Episcopus tenetur  
solvere servitium: circa restitutionem autem

203 disputant Authores, an Simonia mentalis ad illam  
obliget, Silvest. & alii absolutè negant: Host. Abb.  
& Azor absolutè affirmaunt: Suar. c. 59. n. 45. &  
Pirb. L.5. T.3. n. 190, distinguunt, & dicunt, si simul  
non fiat injustitia, non deberi restitutionem;  
si autem fiat injustitia, tum deberi; tum autem  
fit injustitia, si quis, v.g. recipiat pecuniam, credens  
dari ut pretium rei sacræ, implicat enim esse ejus  
pretium, cùm res sacra pretio sit inæstimabilis,  
ergo recipiens nullo justo titulo potest pecuniam  
facere suam, sed dominium illius manet apud alterum.

204 Q. 44. *An per simoniam tantum materialē  
incurrantur pœnae Juris?* R. §. 1. Tum Simonia  
dicuntur materialis tantum, si re ipsa intervenerit,  
attamen bonâ fide acta sint omnia, ita ut formale  
peccatum Simoniæ non sit commisum.

205 §. 2. Si materialis tantum Simonia intervenerit,  
Wames. Cons. 563. n. 2. docet incurri pœnas,  
usque adeo etiam irregularitatem, quia Cap.  
Per tuas 37, de Simonia, Innoc. III. in casu Ordinis  
simoniæ suscepti ab illo, Qui se in hoc egisse  
aliquid